



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Epistola X. Hilari papæ ad episcopos Galliæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ta ecclesiasticarum ordinem regularum congruum iudicium proferremus. Quantum enim filii nostri, vi-
ri illustris, magistri militum Gunduici sermone est in-
dicatum, prædictus episcopus inuitis Diensibus, & qui
ad ecclesiarum eius numerum, quem ei apostolica se-
dis deputauit auctoritas, sicut in scriniis nostris legimus,
minime pertinebant, hostili more, vt dicitur, occu-
pans ciuitatem, episcopum consecrare præsumpsit. In
quo, frater carissime, si ita est, quam multiplex culpa sit,
pronuntiare possimus, nisi iudicii, vt diximus, & mo-
deratio nobis esset, & ordo seruandus. Atque ideo me-
mor sollicitudinis, quam dilectioni tua scis esse commis-
sam, quidquid nunc ad notitiam nostram breui insinua-
tione delatum est, in conuentu synodali, qui secundum
statuta nostra annis singulis te sibi presidente est con-
gregandus, discutere quæ sunt acta debebis, & a prædicto
rationem facti sui sub vniuerso coetu fraternitatis exigere,
ac deinde omnium literis nostræ intimare notitiae; vt
quod sancto Spiritu dictante est faciendum, ad com-
primendos conatus illicitos ordinemus. Deus te incolu-
mem custodiat, frater carissime. Data vi. Idus Octobris
Basilio viro clarissimo consule.

EPISTOLA X.

HILARI PAPÆ

AD EPISCOPOS DIVERSARVM PROVINCiarVM
GALLIÆ.

Ne quisquam suos terminos transcendat, & vt Concilia
quotannis Leontii episcopi opera conuocentur.

*Dilectissimis fratribus episcopis prouinciae Viennenſis, Lugdu-
nenſis, Narbonenſis primæ & secundæ, Alpinae,
Hilarus episcopus.*

ET SI meminerimus fraternitatem vestram ea quæ sunt
a nobis statuta retinere, nec aliquid ex his dissimu-
lare quæ scripsimus: vt scilicet pro disciplina ecclesiasti-
ca, & pro causis quas inter Domini sacerdotes oboriri
plerumque non dubium est, synodalia quotannis Con-
cilia, quorum maxime in fratre & coepiscopo nostro

Leontio Arelatensis ecclesiæ sacerdote summam placuit esse, celebrentur: nec aliud fieri posse credamus, quam quod pro communis Domini domo nostra ordinatio vobis placitura constituit: tamen repetitis literis eadem nunc quoque obseruanda decernimus; præcipue cum grauissima Viennensis ciuitatis episcopus inuoluatur offensa, in iniuriam fratris & coepiscopi nostri Leontii Deensibus antistitem consecrando. De cuius facto vindictæ congruæ sententiam differentes, relationi fratum quæ interim fuerant visa respondimus. Sed quoniam Hincmarus
epist. 6. c. 9. tanti excessus maiorem nobis solitudinis materiam detulerunt, hæc ad vniuersam caritatem vestram etiam per fratrem & coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus, quibus admonita communis omnium solicitude procuret, ne quisquam fratrum in alterius prorupturus iniuriam, transcendat terminos a venerandis patribus constitutos. Vnde omnia quæ a nobis sunt per fratres & coepiscopos nostros Faustum & Auxanium definita roborantes, congregations annuas, ordinante fratre & coepiscopo nostro Leontio, admonitis metropolitanis, quod sæpe dicendum est, iis locis celebrare dignemini, ad quæ conueniendi nulla sit cuiquam commenium difficultas. Cui diligentia etiam prouisio adhibenda est, vt opportunitas quemadmodum locorum, ita constituatur & temporum: vt inexcusabilior, quisquis tam necessarium & salubre constitutum nostrum negligendum putaret, appareat, fratres carissimi. Illius autem confirmationem, quem Viennensis episcopus alienum, & ad se minime pertinentem, grauiter ordinare præsumpsit, fratris & coepiscopi nostri Leontii reliquimus voluntati; quem confidimus non præter humanitatem pensare quæ iusta sunt. Deus vos incolumes custodiatur, fratres carissimi.

Concil. Tom. 9.

Ooo ij